

circumcisio signum erat federis initi inter Deum, & Abrahamum, ejusque semen: Masculi autem soli, non item feminae in Abraham femine computantur.

Ad tertium tandem, & ultimum respondeo, nonnullorum sententiam esse, qui putant instante periculo mortis, licitum fuisse Hebraeis in circumcisione faciendi praeveneri octavam diem; quemadmodum licebat ipsis protrahere, dum dies peragenda circumcisio incidere in Sabatum.

Hac tamen responsio, non solum absona, sed etiam contraria Evangelio videtur, cum in hoc habeamus, Hebraeos circumcidisse etiam in Sabatho: dum enim Christus argueretur a Scribis, & Phariseis, quod paralyticum sanaret in Sabatho, Respondit eis: *numquid, & vos in Sabatho circumciditis hominem? Joann. 7. vers. 22.*

Ratio etiam est: Circumcisio opus servile non erat, quod exerceri non posset, sed religiosum, unde licitum erat Hebraeis, opera religiosa exercere; licebat eis in Templo accendere lucernam, & mactare pecudes.

Ratio vero cur ante octavam diem circumcidere non solerent, in promptu est, quia ante octavam diem, sine periculo mortis fieri nequaquam poterat, quia praepitium tam facile a carne non separabatur sine lesione membri virilis: contra in Ecclesia, cum sine ullo mortis periculo baptisina conferatur, pueri etiam recentes ex utero solent baptizari; Pueris tamen qui ante octavam diem circumcidi non poterant, praesto erat remedium legis naturae; oblatio scilicet a parentibus facta, cum actu protestativo fidei in Christum venturum.

At difficultas longe major est de modo quo illos effectus circumcisio produceret, an scilicet id efficeret ex opere operato, an solum ex opere operantis. Et quidem D. Thomas hac in parte haud satis constare sibi videtur. Nam in 4. Sentent. distinct. 2. q. 9. diserte docet, circumcisioem id effectum ex opere operato: *Oportuit, inquit, aliquid remedium dari, quod ex opere operato peccatum aboleret: & tale remedium fuit circumcisio. In Summa vero 3. part. quest. 62. art. 6. & quest. 70. art. 4. fatetur quidem circumcisioem eos effectus produxisse, non tamen ex opere operato produxit sicut baptismum. Non tamen per circumcisioem tanquam ex virtute ipsius circumcisioem, sicut per baptismum, eo quod baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio. Non itaque effectus suos producit ex opere operato, quae est ipsamet Christi passio.*

Utrumque tamen reconciliari potest; utrumque perinde affirmari, modo tamen recto sensu intelligatur.

Quare regolendum est, quod saepius ex hoc loco diximus: gratiam omnem collatam hominibus post lapsum Adami, five intra, five extra Sacramentum fuisse datam ex meritis Christi: uti Augustinum, & Angelicum Doctorem pluribus in locis insinuasse notavimus, eo nixi Joannis oraculo, quod legitur capit. 1. de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.

Eo sensu dici potest, ac etiam debet, circumcisioem aliaque Sacramenta veteris legis gratiam contulisse ex opere operato seu vi passionis Christi Domini. Quia tamen in Veteri Testamento Christi passio re ipsa impleta non erat, ideo in Circumcisioem passio gratiam non producebat per se, ac vere effectivum influxum; sed moraliter tantum, ac per modum causae finalis, Deum excitando atque movendo duntaxat ad gratiam largiendam. Uno verbo. Circumcisio gratiam conferebat ex opere operato, seu ex passione Christi moraliter, & per modum finis influente: Non conferebat vero ex opere operato, seu ex passione Christi effective, & physice influente, & operante. Juxta priorem sensum loquitur D. Thomas in 4. Sent. Juxta secundum loquitur 3. part. Summae Theologiae.

Postrema difficultas est: an circumcisio praeter memoratos effectus imprimeret etiam characterem?

Qua in re, nullum prorsus characterem imprimere movet me non una ratio, sed multiplex.

Primo: quia nihil hujusmodi Patres habent; Videntur tamen characteris impressionem adnotare tanquam effectum aliquorum duntaxat Sacramentorum novae legis.

Secundo: quia ipsamet circumcisio externus character erat, carni impressus, proindeque alius in anima non videtur fuisse necessarius.

Tertio: quia circumcisio tandem aliquando abolenda erat; unde non videtur conveniens, characterem animae indelebilem impressisse.

Quarto: quia nec refert quod circumcisio iterari non posset: id enim aliunde oriebatur: nempe, quod abscisso semel praepitio, secundo abscindi non posset, & quia qui semel consecratus est, secundo consecrari nequaquam potest.

At mihi videor, satis de prima hac, nimirum circumcisioem Theologica Tractatione differuisse. Proximum est, ut ad uberiores Tractatus Baptismatis elucidationem, de secunda qua est de Baptismate Joannis differamus. Erit hoc futurae disputationis argumentum.

lit. Parmen. cap. 56. (a) praeparationem Sacramentum. Tribus vero modis ea praeparatio a Joanne facta est. Primo: inducendo Judaeos ad fidem & cognitionem Christi, quem indigitabat. Secundo: homines assuefaciendo ad ritum baptismatis Christi frequentandum. Tertio: Homines per poenitentiam disponendo, ad effectum baptismatis Christi, qui est remissio peccatorum. Qua tria generali nomine manifestationis Christi, complexus est Joannes.

DISPUTATIO QUARTA.

De Baptismo Joannis.

PRÆLECTIO I.

Eandem ne cum Baptismo Christi virtutem habuerit?

Quo jure Circumcisionem Christi baptismatis figuram diximus, eodem plane jure Joannis baptismata praeparationem vocitamus: seu ut loquitur D. Augustinus lib. 2. contra

(a) Apud Nat. Alexand. De Bap. in hunc Loc.

ne facta est. Primo: inducendo Judaeos ad fidem & cognitionem Christi, quem indigitabat. Secundo: homines assuefaciendo ad ritum baptismatis Christi frequentandum. Tertio: Homines per poenitentiam disponendo, ad effectum baptismatis Christi, qui est remissio peccatorum. Qua tria generali nomine manifestationis Christi, complexus est Joannes ipse dicens, ut manifestetur Christus in Israel, propterea veni ego baptizans in aqua: In aqua liquidem baptizando manifestavit Christi personam, manifestavit baptismum ejus, manifestavit effectum ejusdem, Ubinam vero ea manifestatio facta sit declarat Evangelium Joann. 1. hac autem facta sunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Repugnat tamen factam esse in Bethania trans Jordanem; Nam Bethania, quae Marthe, & Magdalenae castellum erat, non erat trans Jordanem nec ad ripas Jordanis sita erat, sed cis Jordanem juxta Hierosolimam stadiis fere quindecim prope montem, in quo Christus erat ascensus ad Caelum; ut legitur Joannis Cap. 11. vers. 18. Unde & prisci Ecclesiae Patres, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Epiphanius, Euthymius, Theophylactus, legunt in Bethabara, quae Civitas trans Jordanem est, ad quam primo venientes Hebraei ex Egypto flumen ductore Joanne traecerunt. In Bethabara igitur Manifestatio haec, & praeparatio fuit instituta. Bethabara autem est vocabulum hebraicum, significans locum transitus; Bethania vero locum navis. Stet igitur certum, in Bethabara Joannis baptismata institutum fuisse. Videri etiam poterit declaratio D. Thomae in cap. 1. Evangelii Joannis lect. 13.

Nunc superest examinandum, num baptismata illud veri Sacramenti nomen habuerit?

Qua in re dico: si Sacramenti nomen latius accipiamus, nil dubitandum, quin eo quoque titulo insigniri debeat Joannis baptismus; est enim signum rei sacrae, & quidem Divinae gratiae, at si pressa significatione, nomen illud sumere lubeat, eo titulo cohonestari non potest; cum gratiam praepararet duntaxat, a Christo Domino largiendam, non ipsamet largiretur.

Novi ne, an veteris Testamenti Sacramentum, seu caeremonia fuerit, futiliter aliqui quaesire. Sicut enim Joannes ipse ad nullum Testamentum proprie pertinet; non ad vetus, quia ut habetur Matth. 2. lex & Propheta usque ad Joannem: non ad novum, quia hoc initium ducit a Christo: sed utriusque Testamenti fibula a Patribus nuncupatur: ita & baptismata Joannis utriusque Testamenti vinculum dici debet: aliquid enim de utroque participat; de veteri inquam, quia Christum praenunciabat, de novo, quia non futurum praenunciabat, sed jam praesentem, & inter homines conversantem.

Illud potiori titulo quaerendum est, de quo contendunt plerique Lutherani, & Calviniani: Num baptismata Joannis eandem cum Christi baptismata virtutem habuerit? an perinde peccata dimiserit, gratiamque contulerit? Affirmant illi quidem; Negat vero Synodus Tridentina, ac etiam sub anathemate damnat Sess. 7. Can. 1. Si quis dixerit Baptismatum Joannis habuisse eandem vim cum baptismato Christi, anathema sit. Cujus definitio, uti Divinis Scripturarum Oraculis, Patrumque testificationibus maxime consona propaganda est, contra recentium Heterodoxorum aberrationem.

Et vero, suum Joannes ipse baptismum, a Christi baptismato distinguit ex eo, quod ipse quidem baptizaret aqua, Christus vero baptizaturus esset Spiritu S. & igne: Joann. 1. Marci 1. Matth. 3. Lucae 3. quo certe significatur, Joannis baptismum in externa corporis ablutione, duntaxat fuisse.

Serry Tom. IV.

se positum: Christi vero, internum praeterea Spiritu S., & Divini amoris effusionem praeferre. Hinc in Actibus Apostolicis saepius observamus, baptizatos baptismate Joannis saepius iustos esse baptizari baptismate Christi Cap. 19. quod utique perperam factum esset, si Joannis baptismata eandem cum baptismate Christi virtutem habuisset.

Hoc idem discrimen multo luculentius expresserunt Ecclesiae Patres: Joannique baptismum longe inferioris virtutis & efficaciae fuisse Christi baptismate, aperissime docuerunt. Tertull. lib. de Bap. Cap. 10. Joannis Baptisma Divinum fuisse ait, mandato quidem, quia Joannes a Domino missus est, non tamen potestate, quia nihil Caelum praestabat, sed caelestibus praeministrabat.

S. Joannes Chrysostomus hom. 10. in Matth. explicans, quomodo Joannes praedicaverit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: ait hoc ipsum baptismata peccatorum remissionem non dedisse, sed hoc munus, illius baptismatis fuisse, quod postea Christus instituit.

Distinctius Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: Joannis baptismata non tam peccata dimisit, quam baptismata poenitentiae sunt in remissionem peccatorum; id est, in futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi consecranda.

S. Augustinus lib. 5. de Bap. cap. 10. Si baptismata Joannis peccata dimittebantur, quid amplius praestare potuisset baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis, Christi baptismata voluit baptizari? Quibus paria habet Tract. 4. in Joan., & lib. de civitate, cap. 21. Quid quod S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. quasi Lutheranos nostros, & Calvinistas in oculis habuisset, illos mentis inopes asserit & contra Ecclesiae dogma insurgere, qui dicere audent, nullum esse discrimen baptismatis Christi, & baptismatis Joannis.

S. Gregorius Magnus hom. 7. in Evangelia: Joannes non in spiritu, sed in aqua baptizatur: quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non sanat.

Quapropter dum Marc. 1., & Luc. 3. legitur, Joannem praedicasse baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, non sic est intelligendum, quasi remissio peccatorum, illius baptismi effectus fuerit; sed quod remissio peccatorum futurus effectus poenitentiae, ad quam populum hortabatur baptizando. Unde rō in remissionem peccatorum, refertur ad verbum poenitentiae, non ad baptismum. Ad differentiam baptismatis Christi: Act. 2. baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum: & in Symbolo, confiteor unum baptismata in remissionem peccatorum.

Si qui vero Patres, ut Ambrosius lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. asserunt, Joannem baptizasse in remissionem peccatorum: aut Baptismum ipsius remissionem peccatorum contulisse, & D. Basilii lib. 1. de Baptismo cap. 2. & S. Cyrilli Hierosolymitanus Catechesi Mystag. 2. Sic intelligendi sunt, ut Baptismus ille remissionem peccatorum dederit, in spe, non jure; disponendo, non efficiendo: vel etiam quod dederit hanc remissionem ratione poenitentiae, quam obeundam praedicabat, non per se, ac virtute propria.

Unus Prudentius inventus est, qui Hymno 7. de S. Joanne cecinit, homines Joannis baptismato fuisse renatos, ac Spiritum S. sese in illo hominibus communicasse: at minus prudenter; & poetica libertate Theologiae fines praetergressus est: ipsique Joanni contradixit, antichristum inter utrumque baptismata constituenti; quod ipse quidem baptizaret aqua; Christus autem Spiritu S., & igne.

Nec quicquam movet, quod importuni cavillatores nobis statim opponunt, D. Augustinum

H h h lib. 5.

lib. 5. contra Donat. cap. 10. (a) proposita sibi quaestione, an baptisma Joannis peccata dimiserit, eam plane definire noluisse, ex quo inferunt, Augustinum hoc pacto tacito quodam assensu concessisse Joannis baptisma peccata dimisisse.

In tantum enim SS. Doctor nil voluit definire; non quia ea de re dubitaret, sed quia nihil referebat ad causam dirimendam, quae ipsum inter, & Donatistas vertebatur.

Altero tamen nodo difficultatem implicant, ut futilis argumenti vires instarent; nimirum Ministerium Joannis fuisse nobilissimum Ministerio Moysi, cur ergo ipsius baptismus gratiam saltem non contulerit, eo modo quo conferebant Sacramenta Moisaica legis?

At non est nodus iste tanto vindice dignus: Reponere quippe facile est, fuisse nobilissimum ministerium quoad significationem, & preparationem populi, non quoad effectum gratiae. Cur vero Joannis Baptisma non perinde ac vetera Sacramenta, gratiam contulerit? Quia illa diutius mansura erant, uti sola salutis obtinenda remedia: Baptismus vero Joannis, vix uno, & altero anno perduravit; quo etiam tempore legis veteris Sacramenta perdurabant, ut eorum perceptione possent homines justificari, a peccato mundari, & salutem aeternam obtinere, uti tam multi obtulerunt.

PRELECTIO II.

An aliqua Verborum forma Joannes usus sit baptizando.

CUM nulla prorsus, de materia Baptismatis Joannis, difficultas oboriatur, quam ex variis Scripturarum Oraculis, aquam fuisse, certissime constat: de Forma duntaxat nobis est disputandum: Num scilicet aliqua illius forma fuerit, & quanam. Sunt enim vero nonnulli magni nominis Theologi, qui nullam illius formam fuisse putent, uti & nulla re ipsa veteris legis Sacramentorum forma fuerat. Ac quemadmodum Sacramentum Melchisedech, figura fuit incruenti Eucharistiae sacrificii propter similitudinem materiae panis nimirum & vini, non propter similitudinem formae, quae nulla in Melchisedechi sacrificio fuerat: Ita Baptisma Joannis Christi baptismatis figuram ac preparationem fuisse contendunt, ob solam ipsius materiam, nempe aquam, absque ulla verborum seu formae designatione.

Doctores tamen Angelico visum est aliter 3. part. quest. 38. art. 6. ad 5. & in 4. Sent. distinct. 2. quest. 2. art. 1. ubi Joannem sub hac verborum forma baptizasse contendit, *Ego te baptizo in nomine Christi venturi*. In quam ego sententiam lubens accedo, non eo solo, quod a Doctore Angelico tradita sit, sed quod Scripturis & Patribus omnino consona videatur.

Scripturis inquam consona est: Act. 19. ubi Paulus de Joanne differens, ita loquitur: *Joannes baptizavit baptismum poenitentiae populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum*.

Patribus vero perinde consona est: quia hoc idem docere discretissime Ambrosius & Hieronymus: ille quidem lib. 1. de Spiritu S. Cap. 3. aperiissime inquit, *Joannes in Christi nomine baptizare solebat*: Ille vero in Cap. 2. Joelis, agens de iis fidelibus, de quibus sermo est in actibus Apostolicis Cap. 19. *Baptizati erant*, inquit, *baptismate Joannis, in eum, qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Jesu*. Quo nihil potest esse discretius.

(a) Apud Nazal. Alexand. in hunc Locum.

Neque deest congrua ratio, qualis in hoc argumenti genere proferri potest. Utilitas enim cuiuscumque rei ex eius forma dignoscitur. Unde & formae sacramentorum illud exprimunt, ex quo sacramenta efficiantur & utilitatem habent. Quia ergo tota utilitas Baptismi Joannis erit disponere ad Christum, ideo haec illius competens forma erat, ut in nomine Christi venturi baptizaret.

Neque vero opponere juvat: quod Christus tunc venturus re ipsa non esset, sed potius iam venisset. Etsi enim iam venisset absolute, nondum tamen venerat manifeste & publice notus, in quem sensum verba formae accipiuntur.

At ecce, inquit mihi, si sic est, Baptismus Joannis non distinguitur a Baptismo, quo Apostoli baptizabant, cum & ipsi baptizarent in nomine Christi, ut saepius in actibus Apostolicis legitur.

Verum & id falsum, Apostolos in Christi nomine baptizasse. Age tamen, & ita illos baptizasse concedamus; adhuc tamen baptizare in nomine Christi ut venturi, & baptizare in nomine Christi, qui iam venerat, factis abunde baptismatis distinctionem argueret. Cujus ratio est: quia Sacramentum Baptismi longe aliter respicit Christum qui venit, quam Christum qui venturus est. Venturum quippe respicit, ut dispositio & preparatio ad eius adventum; At Christum qui venit respicit tanquam effectum, causam sui effectivum. Unde quod Joannes baptizasset in Christum venturum, & Apostoli baptizarent in Christum, qui iam advenerat, diversitatem inducebat Sacramenti Baptismatis: Nempe quod primum esset Sacramentum preparatorium ad Christum, alterum Sacramentum institutum a Christo, & iustificans per Christum.

Neque obest si forte dixeris, eandem esse fidem Patriarcharum & Prophetarum, qui credebant in Christum venturum, & nostrum omnium, qui Christum credimus iam venisse: dispar quippe ratio est fidei & Sacramenti. fides enim, cum sit assensus revelatis veritatibus datus, respicit veritatem ut in se est; diversitas autem temporum Patriarcharum non inducit distinctionem veritatis, quare eadem fides est, quae credebatur tunc Christum venturum; & quae modo in nobis credit eum venisse: at Sacramenta sunt effectiva & operativa; & ideo distinguuntur per varium operandi modum.

Urget nihilofcius Guillelmus Estius triplici momento, haud ita contemnendo. Primo: quod baptismus Joannis nihil interius produceret, quod virtute ac nomine Christi produci deberet. Secundo: Baptismus Joannis non erat verum Sacramentum, sed mera caeremonia. Tertio: quod Christus Joannis baptismate tinctus sit, quem certe absurdum est fingere, in sui ipsius nomine fuisse baptizatum, ac multo magis in nomine sui ipsius ut venturi, qui praesens aderat.

Solutio omnibus obvia est. Ad primum itaque respondeo, Joannis baptisma gratiam quidem interioriorem sanctificantem non produxisse, dispositiones tamen preparatorias producere potuisse. Cui addiderim etiam, in Sacramentis proprie dictis, & operativis verba formae significare effectum productum, & virtutem, quae re ipsa producitur; in Sacramentum autem improprio mere significativo, & nullatenus productivo, quale profecto fuit baptismus Joannis, verba formae non significare effectum, aut virtutem productivam illius; sed illum denotare, qui ea caeremonia adumbratur ac figuratur. Ex quo patet etiam Responsio ad productum Guillelmi alterum momentum.

Ad

Ad tertium vero dico, eandem semper recurrere difficultatem, seu baptismus Joannis expressam, quam diximus, formam habuerit, seu non habuerit. Cum enim Baptisma illud conferretur tanquam preparatio ad Christum, (sive id exprimeretur in forma, sive non) quare perinde potest, quomodo Christus ipse praesens recipere potuerit caeremoniam preparatoriam ad Christum venturum. Quare dicendum Christum, ad exemplum,

non ad necessitatem Joannis baptismus susceptus: illudque in ipso nec eos effectus, nec eas significationes habuisse, quas obtinebat in caeteris; uti plane dum circumcisus est Christus. Unde baptismus Joannis Christo collatum est, nulla prolata forma, solumque aquae ablutione facta, ut caeteris praeberet humilitatis exemplum, non ut ipse ad Christum excipiendum prepararetur.

DISPUTATIO QUINTA.

De Confirmatione.

PRELECTIO I.

Sacramentum Confirmationis quid sit, & quando institutum demonstratur.

QUEM inter se tenent ordinem Ecclesiae Sacramenta, eundem in iis explicandis observare Theologi solent: quorum nos secuti morem, post absolutam de Sacramento Baptismatis Theologicam Tractationem, nostram nunc in explicando, quod proxime sequitur, Confirmationis Sacramento, industriam ac diligentiam exercebimus. Vereor tamen maxime, ne quis primo statim in lumine, hunc ipsum Sacramentorum ordinem, tritam licet, & ab omnibus usurpulum minus probe, quo post baptismum subjicitur Confirmatio, tunc recta serie Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Equis enim, inquit mihi aliquis, Ordo ille est in Sacramentis? Si dignitatis, primum locum tenet necesse est Eucharistia, etiam ante Baptismum & Confirmationem. Si vero necessitatis, post Baptismum, sequatur necesse est Poenitentia, secunda, ut vulgo dicitur, post naufragium tabula. Nunc tamen quorundam imperitorum scrupulum eximit Doctor Angelicus 3. p. quest. 65. art. 2. Nec dignitatis, nec necessitatis, sed naturae ordinem illum esse inquit, ut primo quidem loco baptismus; secundo, Confirmatio; Tertio, Eucharistia; Quarto, Poenitentia; Quinto, extrema Unctio; Sexto, Ordo; Septimo, Matrimonium: quod ille Angelica plane ratione demonstrat.

Unitas, inquit ille, ordine naturae prior est multitudine; & singularis quique priores sunt communitate; cum & ex unitatis multitudine, & ex singularibus communitas coalescat. Sacramenta igitur, quae ad singulorum hominum bonum sunt instituta, naturae quidem ordine priora iis debent esse, quae ad communitatis bonum sunt instituta. Baptismus porro, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, extrema Unctio, ad proprium singularis cuiusque hominis bonum sunt instituta: baptismus quidem ut spiritualis generatio, quae primum etiam in ordine naturae locum habet; tum Confirmatio, tanquam geniti spiritualiter hominis corroboratio; postea Eucharistia, uti nutritio spiritualis; Poenitentia uti curatio ab infirmitatibus, quae in hujus vitae decursu contrahuntur; Extrema Unctio ut perfectio curacionis a contractarum infirmitatum reliquiis. Caetera vero, quae sequuntur Sacramenta duo, Ordo nimirum & Matrimonium, ad bonum Communitatis sunt instituta: Ordo Serry Tom. IV.

(a) Omnia habentur apud Tourmelli in hunc Locum.

do quidem ad spiritualem fidelium curam, regimen & gubernationem per sacrorum hominum ministerium: Matrimonium vero ad eorumdem fidelium propagationem carnalem procurandam. Is igitur naturae in Sacramentis Ecclesiae ordo est; ut primo quidem loco Baptismus constituatur.

Nos itaque naturae ordinem secuti, explicato in anteaactio Volumine Baptismatis Sacramento, in hoc de Confirmatione disputabimus: ac primum, de illius essentia deque illius Institutione, hodierna luce differemus.

Confirmationis itaque Sacramentum varia apud Patres nomina sortitum est, quibus ejus essentia explicatur ratione materiae qua constat. Vocatur saepenumero Sacramentum Chrysmatis apud Augustinum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 10. Chrysmata salutis apud S. Leonem serm. 4. de Nativitate Chrysmata sanctum & Chrysmata supercaeleste in Concilio Laodiceno Can. 7. & 48. Quandoque etiam manus impositio vocatur apud laudatum Augustinum lib. 3. de bapt. cap. 16. & S. Isidorus Hispalensem lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 26. Ratione vero effectuum, qui eo Sacramento producuntur, dicitur plerumque a Patribus, Sacramentum plenitudinis Gratiae a D. Thoma 3. p. quest. 72. art. 1. Sacramentum perfectionis a Concilio Illiberitano Can. 38. & 77. Sacramentum Confirmationis a Concilio Florentino & Tridentino, quia fideles eo Sacramento confirmantur, ac robustiores fiunt ad fidem publice profendam. (a)

Ex his omnibus nominibus plana germanaque elicitur Confirmationis definitio, illius essentiam explicans: id est Sacramentum novae legis, quo fideles per manuum impositionem, & S. Chrysmatis inunctionem, ad Christi fidem palam & intrepide profendam Spiritus S. plenitudine, corroborantur.

Ordo nunc postulat, ut inquiramus quandam, a quo & quomodo institutio hac facta sit. Ut a primo igitur ordiamur. Fuere nonnulli, qui Sacramentum hoc ab Apostolis institutum censuerunt; ita D. Bonaventura in 4. sent. dist. 7. quest. 1. art. 1. Ita Alexander Aletis 4. p. Theol. quest. 24. Ea sententia valuit ante tempora Concilii Tridentini & Florentini, cum postmodum a duobus hinc Conciliis definitum fuerit, omnia novae legis Sacramenta a Christo D. fuisse instituta; ita Tridentinum Concilium Sess. 7. Can. 1. his verbis. *Si quis dixerit Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostra instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium*.

H h h 2

tri